

HERMANNVS BILINGVS SAXONIAE DVX.



Hermannus natus est patre rustico, qui in campis Lunenburgicis iuxta Soltauu in villa sua Stubeckhorn, colendis agris & pecoribus educādis operam dabat. Huius ergo filius Hermannus ingenti labore corporis, atq; insigni animi fortitudine erat præditus. Itaq; sub Ottone Cæfare castra secutus, facile militarem laudem & uirtutis opinionem apud omnes consecutus est. Hinc postea factum ut per gradus ascendēs ordines duxerit, & res sibi commissas mirabili fœlicitate & successu expedierit. Itaq; Otto magnus commotus, filios suos in disciplina militari ei instituendos tradidit. Cum etiam in Italiam proficiseretur, ut motus eius nationis compesceret, Hermanno partem Saxoniæ & Vuestphaliae tuendam & gubernādam commisit. Id cum optimè perfecisset, Imperator iure feudi eas regiones Hermanno cum sua posteritate perpetuò possidendas Imperij nomine dono dedit, anno 950.